

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Dissertatio Critica De Capitibus Ultimis IX - XIII.  
Posterioris Epistolae Pavli Ad Corinthios Ab Eadem Haud  
Separandis**

**Gabler, Johann Philipp**

**Goettingae, [1782]**

**VD18 11725516**

§. V. Status ecclesiae Corinthiacae narratur.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-14981**

„conueniant cum istis, quae a Tito narrabat se  
 „audiisse C. VIII, atque Corinthios mirum in  
 „modum ideo laudabat? Nempe ibi agitur de  
 „illis, qui redierant ad bonam frugem; hic vero  
 „de quibusdam aliis, qui adhuc quasi expecta-  
 „bant, seiuncti interea a partibus Pauli; hi  
 „poterant eo sensim delabi, ut putarent, si ma-  
 „xime Paulus ipse veniat, tamen eum nihil prae-  
 „terea ausurum, vanas minas istas fore. Sal-  
 „tim isti Iudaizantes s. Palaestineses facile po-  
 „terant sermonibus scaeuus istam leuitatem per-  
 „vertere et in contemptum adducere”. — His au-  
 tem generatim obseruatis accedamus iam ad  
 accuratiorem eorum, quae in his literis in-  
 vicem pugnare videantur,

§. V.

*Status ecclesiae Corinthiacae narratur.*

Quod negotium quo procedat felicius, inquiramus ante omnia, quantum quidem ex ipso epistolae argumento id intelligere liceat, in vniuersum statum et conditionem internam ecclesiae Corinthiacae, eo certe tempore, quo Paullus has ipsas literas ad illam conscriberet. — Acceperat vero Apostolus a Tito haec: Plurimos Corinthios a partibus ipsius stare omnique eundem pietate colere (C. VII, 6-7): quaeque prioribus literis animo intendisset, ea omnia etiam ex animi sententia in ecclesia Corinthiaca vere per illas effecta fuisse, quaeue

in iis v. c. de incestuoso puniendo praecepisset, a Corinthiis fideliter peracta (C. VII, 8-12); hos denique de stipe pro Palaestinen-sibus colligenda admodum esse sollicitos (C. VIII, 10. IX, 2.). Haftenus nuncius allatus erat laetissimus, qui Apostolum permoueret, vt, (quod maximam partem argumenti IX priorum epistolae capitum occupat) *tum* animum Corinthiorum per priores literas, acriores illas atque seueriores, vehementer compunctum, quem vero ad quaeuis officiorum genera paratum atque ad obsequendum alacrem nunc cognouisset, et debitis laudibus iis ex animo concedendis, et insigni suo ipsius in illos studio testificando reficeret; *tum* explorata iam eorum obedientia et prolixa in se voluntate lenitatem iis in incestuosum, qui ad meliorem frugem rediisset, commendaret ipse; *tum* denique confirmanda eorum in se pietate illos ad aduentum suum rite prae-pararet atque ad promouendam stipem acriter eosdem excitaret. Sed attulit Titus alium quoque nuncium, eumque tristiores hunc: Adeste adhuc Corinthi hostes Apostoli, doctores fallaces et mendaces g), qui disciplinae Chri-

g) Fuisse vero Corinthi non *unum* quendam, (quae est GROTII et LOCKII opinio), sed *plures*, qui Paullum in inuidiam adducerent, factiones Apostolo aduersas alerent, atque dogmata puriori doctrinae Christianae contraria spargerent, luculentissime demonstrant loca C. X, 2.

Christianae dignitatem quouis modo labefactare studerent, religiones contra Iudaicas mirum in modum extollerent; quapropter iidem ab Apostolo dicuntur *επαιρυντες ὑψωμα* (οχυρωματα) *κατα της γνωσεως τῶ Θεου* — *καθαιρυντες λογισμας* (νοηματα) *εις την ὑπακοην τῶ Χριστου* (C.

D 5

X,

12. XI, 5. 12-15. 18. 22-23. rel. Neque contra locis C. X, 7. 10. 11. XI, 4. satis firmum inest praesidium contrariae opinionis, *unum* modo exstitisse ducem totius gregis. Nam de formula *τις* vix est, quod moneam, ea non semper rem singularem definiri, sed *uniuerse* tantum significari. Neque rectius verbum *φησι* v. 10. *unum* demonstrare existimatur: nam, ut taceam hanc formulam h. l. dici posse *ellipticam*, omissa quippe vocula *τις*, quae pro *nonnullis* admodum frequens est, Graecos τῶ φησι, aequae ac Latinos verbo *Inquit* (Man sagt) uti de omnibus personis et utroque numero constat. Multo minus formulae *τοις* v. 14. vis aliqua inesse censenda est, cum potius, si *unus* esset demonstrandus, voce *εἶς* ab Apostolo significandus *ille* fuisset. Nec denique usu numeri singularis in voce *ερχομενος* C. XI, 4. quicquam in contrariam partem effici potest: pari enim ratione Gal. V, 10. occurrit *ταρασσων* pro plur. *ταρασσοντες*, quibus respondent *ανασταυντες* v. 12. Nam collectiue poni verba singularia in omni sermone familiari perpetuum est. Nec video, si Paulus *unum* tantum hominem cogitasset, cur eundem postea in plurali numero significauerit. Ne ille animo compungeretur nimium vel exacerberetur? Attamen sing. num. semel iterumque eum digito monstravit Apostolus. Atque indulgendum eius modi furfuris hominibus prorsus non esse, pluribus sane locis Apostolus et diserte praecipit et suo ipse exemplo abunde demonstrat. —

X, 4. 5.) et ὑπερλίαν ἀποστολοι — ψευδαποστολοι, εργαται δολιοι, μετασχηματιζομενοι εις αποστολας χριστου (C. XI, 5. 13.): et vero etiam Paulli ipsius existimationem atque Apostolicam auctoritatem imminuerent, malevolentissimisque obtreccionibus, eum speciem modo pietatis praebere, at animi esse quaestus facienda cupidissimi, inuidi, arrogantis, in absentes quidem turgidi, sed in praesentes demissi et imbecillis, nomini illius labem adspargerent. Ad hos igitur obtreccatores Apostolus tum in defensione sui ipsius (coram enim causam tueri pudor prohibebat), tum praesertim C. II, 14 — VII, 1., in vindiciis praesentiae doctrinae atque disciplinae Christianae, munerisque adeo apostolici prae uniuersa oeconomia V. T. per *integram* hanc epistolam, nec solum in vltima illius parte, respicit: in priori quidem parte, ex iustis quibusdam causis infra exponendis, paullo *tedius*; in posteriori vero *apertius*. Id quod perspicue docent loca epistolae haec: I, 12. 13. 17. 23. 24. II, 1. 3-5. 11. 17. III, 1 sqq. IV, 2-5. V, 12. VII, 2. X, 2. 4-6. 10-11. XI, 3-5. 7-20. — Horum vero laruatorum Iudaeorum nefandis obtreccionibus, simulata pietate, atque opinionibus puriori doctrinae Christianae contrariis abripi se ad tempus saltem patiebantur Corinthiorum haud pauci, qui iustum animi robur ad seruandam doctrinam atque virtutem Christianam nondum consecuti

cuti erant. Quo factum, vt, quamuis Paul-  
 lum integerrime diligenter, atque *μετα φοβη  
 και τρομε* eius iussa exciperent, istis tamen Apo-  
 stoli eiusque doctrinae hostibus, Paulo ipso  
 vel illius legatis absentibus, imprudenter ce-  
 derent, impiisque illorum clamoribus atque  
 calumniis concuti, sensimque ab obedientia  
 Apostolo debita prae metu, inuiti licet, ab-  
 duci se paterentur, ipsisque his improbis ho-  
 minibus aures patientes praeberent (C. XI,  
 20.), donec tandem per legatos in obsequio  
 Apostolo praestando denuo confirmarentur.  
 Itaque semper eorum animus, cui firmitas  
 deerat, dubius ac incertus haesit Iudaeorum  
 clamores inter atque monita Apostoli; incli-  
 nauitque mox ad hanc, mox ad illam par-  
 tem, non quidem ex odio Paulli, quem valde  
 amabant, sed ex metu errandi in doctrina  
 salutari, atque adeo aberrandi a futura salute,  
 perterriti quippe improborum hominum ca-  
 lumniis, non posse non ipsos susceptis religio-  
 nibus Paulli aeterna subire supplicia. Sic  
 concilianda videntur loca ipsius partis prioris  
 C. VI, 12. 13. cum C. VII, 7. Quoniam pro-  
 cliuis erat Corinthiorum animus ad Paullum,  
 eiusque doctrinam, praecepta atque legatio-  
 nes magnopere reuerentur, iustis laudibus  
 prolixam eorum erga se voluntatem Apostolus  
 celebrat (VII, 7.): at, cum illi animo adhuc  
 fluctuantur, concuti facile poterant pia eo-  
 rum studia: proni quidem erant ad doctri-  
 nam

nam Paulli totos se conformare, neque tamen apud larvatos illos Iudaeos, quorum impia molimina adhuc ignorarent, in offensionem incurrere sustinebant. Erant igitur studia eorum diuisa; quare Apostolus dolet se *ἡττον αγαπασθαι* XII, 15. atque *σενοχωρεισθαι εν τοις σπλαγχνοις αυτων* VI, 12, optatque v. 13. *πλευτηνθηναι αυτες*, vt totam eorum animam occupare ipse possit. Quibus alia adhuc vitia ecclesiae Corinthiacae accesserunt: alii aliis *χαρισματα* maiora inuidebant, alii alios damnabant, vnde exstiterunt frequentes illae et acerrimae lites, odia immania, tristitia partium diuortia (C. XII, 20.); praeterea inhaesit Corinthiis corruptiorum morum ex pristina superstitione consuetudo *h)* (XII, 21.); immodicus cum primis voluptatum venerearum vsus, ad quem Apostolus iam C. VI, 14-16. et VII, 1. respicit. — Pro varia itaque Corinthiorum indole variam quoque eos emendandi viam Apostolus ingreditur. Ante omnia praestantiam nouae oeconomiae sacrae prae veteri, huius abrogationem, et dignitatem muneris apostolici multis rationibus firmare studet tum C. II-VI. tum C. X. XII. XIII. passim. Calumnias hostium vero mox serio quidem, at placide refellit, velut C. I. II. VI. VII. XI, 10-12;

*h)* Conueniunt haec cum iis, quae de corruptis Corinthiorum moribus vitiisque grauissimis tradiderunt alii, AELIANVS *Hist. Var. l. I, c. 19. l. III, c. 15.* STRABO *l. II, c. 16.* et ARISTIDES *in Isthm. ad Neptun.*

12; mox acerbius, oratione fale mimico per-  
 sperfa, vt obtreftationum et varietatem et  
 atrocitatem sentirent Corinthii, modo memi-  
 nerint, quamnam viuendi rationem inter eos  
 feruaffet, v. c. XI, 7-9. 14-23. XII, 13-19.  
 Sed scelera et turbas Corinthi exortas feuerē  
 et acriter perstringit C. XIII. Prouti igitur  
 res ipfa, quae animo obuersharetur, postula-  
 ret, Apoftolus mox laudat, mox vituperat;  
 mox grauitē dehortatur; mox acriter mina-  
 tur; mox fuauī fenfu adfcitur, mox dolore  
 corripitur; mox crimina falfe perstringit, mox  
 feuerē et acerbe scelera exagitat. Itaque  
 Paullus, non fecus ac alius quisque vir bonus  
 et sapiens, quouis fenfus, grati vel ingrati,  
 genere in his literis perfunditur, atque ab  
 vno ad alterum defertur: fenfu mali aequē  
 grauitē afficitur, ac fenfu boni, honefti,  
 pulcri fuauiter mulcetur. Eadem ratio efle  
 videtur, quando Apoftolus ad diuerfum, nec  
 raro oppositum, dicendi genus, subito trans-  
 it. Seueras faepius fenfentias falfae proxi-  
 me fequuntur, vbi fcilicet eadem res eodem  
 tempore alia ex parte menti obiiciebatur,  
 vt vel rifum vel indignationem moueret: fic  
 ironiam C. XI, 7-8. fequuntur feria a medio  
 v. 8. (*και παρων προς υμας rel.*) vsque ad v. 13;  
 fed a v. 14. inde reedit fatira. —

C. VI.



*Prima difficultas soluitur.*

His igitur ex historia Corinthiorum et argumento huius epistolae praemissis facilis iam erit solutio omnium ac singulorum dubiorum, quibus nexus vltimorum capitum cum praecedentibus primo quidem obtutu premi videtur. — Conuenit quidem haec posterior pars cum argumento prioris epistolae, inprimis C. IV, 21. et C. Vto; sed aequae conuenit cum statu ecclesiae Corinthiacae, qui eo tempore obtinuit, quo Apostolus posteriores has literas conscriberet. Aderant adhuc doctores fallaces et calumniatores Pauli, quorum minis atque obtreccionibus Corinthiorum haud pauci animo perturbarentur: serpebant scelera permulta, quae Corinthii molli et luxuriosae vitae ex auita superstitione, quam vix deseruerant, adfueti non tanti facere solebant. Nonne haec omnia eiusmodi erant, vt iustam Corinthios vituperandi causam Apostolum suppeditare possent? — "At non respondet haec posterior pars argumento IX „priorum capitum" ? Respondet omnino. Notauimus iam supra ex priori epistolae parte loca nonnulla, quibus Paulus calumnias doctorum illorum fallacium haud obscure innuit v. c. II, 11. 17. III, 1. Nec desunt in priori illa parte loca alia, quibus Apostolus, etsi paullo tectius, ipsam Corinthiorum inconstan-